



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 2. An Sanctus Doctor asseruerit Solem, & astra esse animata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

lum Deum esse immaterialem, pag. 585. At Moraines scribit: *Sentit etiam Angelos, & Demones esse corporeos.* Adamus prius refellendus est, qui Semipelagianorum errorem ipsorum hosti Augustino imponit. Docuerat Cassianus Collat. 7. cap. 13. solum Deum esse spiritualement, animas verò hominum esse corporeas; eundem uti in materia de gratiâ ita eâ in opinione secuti sunt Faustus in Epist. ad Paulinum, & Gennadius in lib. Eccles. dogm. cap. 11. At Sanctus Augustinus animam rationalem non solum spiritualement absque ullâ corporeâ facis permixtione asseruit, verum etiam id solidè demonstravit. In Epist. 28. ad Hieronymum ait: *Incorpoream quoque esse animam, & si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum.* Illo sanè optimo argumento, quòd in omnibus, & in singulis particulis corporis tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spacia locorum minoribus suis partibus minora occupare, & amplioribus ampliora; quam sententiam firmissimè de animâ tenere se dicit. Et lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 33. ait: *Animam verò non esse corpoream non me putare, sed planè scire audeo profiteri.* In libro de Quantitate animæ diligentissimè, ac subtilissimè disputatum est, inquit, ut eam, si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse: Lib. 1. retract. cap. 8. Præterea lib. 4. de Orig. animæ à capite 12. usque ad cap. 22. evidentibus argumentis probat animam esse incorpoream. Quid clarius ab Augustino dici unquam potuit? & tamen eam Sancto Doctore absurditatem Adamus afficit! Scribit lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 24. *Nihil vicinius, aut fortè assè nihil tam consequens, quàm ut credito, quòd anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur: quòd Tertulliano accidisse addit cap. 25. Epist. 157. ad Optatum: Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminiibus exoriri. Quòd perversus quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Quà dementiâ repulsa &c.* Itanè Augustinus docuit animam corpoream esse, cum hoc effatum somnium, dementiamque pronunciauerit, nihilque perversus dici posse asseruerit? Adamus hæresim illam Augustino apponit, nec unicum saltem locum Augustini designans, ubi animam corpoream ille putari, quasi tam celebris fuerit ea Augustini sententia, ut neque ullius textus citatione indigeret. Audiatur interim Claudianum Mamercum, qui eodem sæculo paulò post Augustinum vixit, ita de Sancto Doctore loquentem: *Aurelius Augustinus & acuminè ingenii, & rerum multitudine, & operis mole veluti quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zeno sensuum subtiliæ, aut Varro nosler voluminum magnitudine, & qui profectò talis naturâ, attentione, disciplinis extiterit, ut non immeritò ab istis corporalibus nostri sæculi Epicureis, aut Cynicis Spirituales Sophista disenserit, libro ad Hieronymum de origine animæ sic pronunciat: Incorpoream esse animam, & si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Cumque id ita fore rationibus magnis, atque insolubili argumentatione convincat &c.* Lib. 2. de statu animæ cap. 9. Putasne Lector, Adamum harum unam rationem, vel argumentationem legisse?

Sed jam illo Scriptore patentissimè falsitatis convicto, quid de Angelorum corporibus Augustinus

senferit videamus. Celebris sententia Platonicorum fuit, Angelos conflatos esse ex spiritu, & corpore quodam subtilissimo elementari quolibet longè nobiliori, ut ex Apulejo pluribus tradit Augustinus lib. 8. de Civ. Dei cap. 8. & 16. Hanc sententiam ex Patribus secuti sunt Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, Lactantius, & pro eadem citantur Athanasius, Basiliius, & Methodius à Joanne Episcopo Antiocheno, ejus verba etiam sunt in Synodo Nicenâ II. act. 5. *Solummodò autem Deus incorporeus, & informabilis. Intelligibiles autem creature nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles picturâ existunt.* Eidem opinioni adhæserunt Cassianus, Faustus, Gennadius, alique. Verum plures sapientissimi Patres oppositum opinabantur, omnem ab Angelis corpulentiam removentes. Augustinus, quòd eam quæstionem tractare ex professo noller, videretque utramque partem plurimorum auctoritate firmatam, in re difficill, ac dubiâ sententiam suspendit. Id ambiguum esse scribit lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. At lib. 21. cap. 10. ubi quærit, an ignis corporeus possit Demones torquere, ait: *Sunt quædam sua etiam demonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est &c.* Postea: *Si autem quisquam nulla habere corpora Demones assererat, non est de hæc re operosa inquisitione laborandum, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse penâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris &c. Ath. erubunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus Demonum; imò spiritus Demones licet incorporei corporeis ignibus cruciandi.* Ex quibus dubium se de Angelorum corpore fuisse significat, at non de animâ dubitasse, quam profectò incorpoream dixit. Undè Adamus hoc ipso testimonio rursus arguitur, ac Morainii hallucinatio, qui eam sententiam uti certam ab Augustino asertam dicit, quæ dubia semper apud eundem fuit, licet quandoque corporeos esse Angelos supponat, ne novâ illatâ quæstione ab argumento distrahatur. Non desinere tamen, qui Augustinum dubitantem sequerentur, unus pro mille sit Sanctus Bernardus, qui lib. 5. de Consider. cap. 4. ait: *Quantum de corporibus horum, nempe Angelorum, non modo undè sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Undè si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. Et Serm. 5. in Cant. Cæterum, inquit, Angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, & sint animata sicut homines &c. videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse; nec mihi perspicuum est, undè alterutrum doceam, & nescire me fateor; sed & vestris profectibus non multum confere arbitror harum rerum notitiam. Hæc sanctissimus, idemque doctissimus Pater.*

§. II.

An Sanctus Doctor asseruerit Solem, & astra esse animata?

Rursus opponit Sancto Patri Morainius: *Tremdu-bitavit num Sol, & Luna, alique sydera, quæ oculis conspicimus, sint animata.* Ibidem. Sed hic quoque adversarii eruditio vel desideratur, vel appellatur. Etenim apud veteres non modò Philosophos, verum etiam Patres controversum erat, essentne cæli animati. Platonicæ, ac Stoicæ animatos cælos dicebant, in quorum opinionem ivere Cicero lib. 2. de

de Nat. Deorum, & Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 9. Peripatetici etiam plerique idem existarunt, ut patet ex Raguseo Tomo 1. Philosophiæ disp. 14 & Alexandro Achillino lib. 3. de Orbibus cap. 1. qui etiam ex Aristotele eandem sententiam deduci satis prolixè contendit. Communior tamen Peripateticorum opinio ex Philosopho intelligentias assistentes cœlis, non verò eosdem informantes concedit. Non una etiam fuit Patrum de cœlorum animâ opinio, undè, cum Sanctus Doctor tantis litigiis sese immiscere noluerit, iudicium suspendit, nempe an Angeli verè Orbes informant, vel eos solummodò in gyrum propellerent. Undè in fine 2. de Gen. ad lit. ait: *Solet etiam quæri, utrum cœli luminaria ista conspicua corpora sola sint: an habeant retores quosdam spiritus suos, & si habent, utrum ab eis etiam vitaliter inspiciantur, sicut animantur carnes per animas animalium; an solâ sine ullâ permixtione præsentia?* Quas quæstiones insolutas relinquens ait: *easdem non facillè posse comprehendî.* Quare Sanctus Thomas 1. par. q. 70. art. 3. ubi quærit, utrum luminaria cœli sint animata, ait: *Similiter etiam apud Doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origenes enim posuit corpora cœlestia animata. Hieronymus etiam idem sentire videtur &c. Basilii verò, & Damasceni asserunt corpora cœlestia non esse animata. Augustinus verò sub dubio dereliquit in neutram partem declinans.* Idem Angelicus Doctor 2. contrâ Gent. cap. 70. ingenuè testatur, nihil ab Ecclesiâ de animâ cœli definitum esse: *Hoc autem, inquit, quod dictum est de animatione cœli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet sive sic, sive aliter dicatur.* Scotus verò 2. dist. 14. q. 1. in fine scribit: *Si cœli non sunt animati, hoc est magis creditum, quam ratione probatum.* Quod si neque auctoritate Ecclesiæ, ut ait Angelicus, neque efficaci ratione, ut subdit Subtilis, quicquam de cœlorum animâ certi stabilitum est, nonnè jure Magnus noster Doctor eâ de re poterat dubitare? Cum lib. 13. de Civitate Dei cap. 16. retulisset sententiam Platonis ait: *Et hoc quidem, utrum Plato verum de syderibus dicat, alia quæstio est.* Neque enim continuò concedendum est, globos istos luminum, sive orbiculos luce corporeâ super terras seu die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere, eisque intellectualibus, & beatis &c. Ex quibus patet, Augustino illam de cœlorum animabus sententiam non multùm placuisse, eam tamen ob Platonicorum, ac Patrum præsertim auctoritatem in medio reliquisse.

Cæterum cœlos sine animâ meliùs statuendos ex propriâ sententiâ non semel docuit. In libro posteriori Retract. cap. 7. ubi corrigi libros contrâ Faustum ait: *In decimo quarto de Sole, & Lunâ talia dicta sunt, tanquam sentiant, & ideo tolerant vanos adoratores suos. Quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimatè translata modo locutionis, qui vocatur græcè metaphora.* Vides Sanctum Patrem retractare sententiam, quâ visus fuerat, astris animas dare, idque metaphoricè tantùm intelligendum esse apertè protestari? In his verò libris definitivam veluti sententiam tulit, quâ quid de astrorum animabus ipse sentiret, intimavit, ita ut etiam alibi oppositum dixisset, ex posteriori aserto corrigetur. Idem habet tract. 1. in Joannem ad illa verba: *Quod factum est, in illo vita erat.* Legatur eruditus Pater Alipius Reylof Augustinianus lib. 1. de Anima cap. 4. ubi de Sancti Augustini sententiâ doctissimè disputat. Opinio verò illa de cœlorum animâ damnata demum legitur in literis à Justiniano Imperatore scriptis ad Mennam

Patriarcham C. P. ubi inter reliquos anathematissimos hic habetur: *Si quis dicit cœlum, & Solem, & Lunam, & stellas, & aquas, quæ super cœlos sunt, animas, & materiales esse quasdam virtutes, anathema sit.* Ut præcipuus Origenis error ille proscriptus fuit. Porro Justiniani literas Vigilius Papa cum universâ Ecclesiâ Catholicâ approbavit, uti testatur insignis tum temporis Carthaginensis Diaconus Liberatus cap. 23. Breviarii; quâ de re pluribus egimus in Dissert. de Synodo V. Hunc autem canonem in eadem Synodo V. œcumenicâ anno 553. celebratâ approbatum fuisse scribit Nicephorus lib. 17. cap. 27. Undè Pater Lupus eundem uti ab eadem Synodo statutum more solito, nempe eruditè notis, ac scholiis illustrat. An verò modò defendi possit anima cœlorum post damnatam illam Origenis opinionem, nolo disputare; posset enim quis reponere, damnatam solummodò illam sententiam juxtâ mentem Origenis intellectam, de quo hæc scribit Sanctus Hieronymus Epist. 61. contrâ Joannem Hierosolymitanum: *Origenes docet Solem ipsum, & Lunam, & omnium astrorum chorum esse animas rationalium quondam, & incorporalium creaturarum, quæ nunc vanitati subjæctæ, ignitis videlicet corporibus, quæ nos imperiti, & rudes luminaria mundi appellamus, liberabuntur à servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei.* De quâ Origenis opinione hæc tradit Sanctus Augustinus tom. 6. in lib. contrâ errores Priscillianistarum cap. 8. *De Sole, & Lunâ, cæterisque syderibus, quod cœlestia sint corpora videmus, quod animata sint, non videmus. De divinis hoc libris legatur, & credimus.* Hæc ibi. Et quidè Fromondus lib. 1. de Animâ cap. 1. art. 8. fatetur eum, qui animam vegetativam, aut etiam sensitivam astris concederet, in Synodum V. non peccare, quæ animas tantùm intellectivas à cœlestibus corporibus exclusit. Petrus Aureolus Parisiensis Scholæ præclarissimum decus, & Ordinis Minorum singulare ornamentum, quem nunquàm sine admiratione se legisse testatur Basilii Poncius in quodlibetis quæst. 8. cap. 3. est enim ob ingenii acumen, & argumentorum sive copiam, sive vim spectes, queis nova plerumque abs se inventa asserita communit, nemini Scholasticorum secundus, hic, inquam, cum in 2. sent. dist. 14. q. 2. art. 2. pluribus investigasset, num intelligentia movens cœlum uniretur tanquàm motor, an verò ut forma, & probabiles rationes ad animam cœlorum persuadendam adduxisset, solutis etiam argumentis, quæ à Theologis contrâ eandem opinionem fieri communiter solent, ita concludit: *Sed dimissis Philosophis, & aliis, intelligendum est in hac materiâ, quæ via prædictarum duarum est probabilior, cum utraque satis probabilis videatur.* Respondet: *Augustinus dicit* (recitato uno, & altero testimonio) *sed nec illud certum habeo, utrum ad eandem societatem pertineant Sol, & Luna, & cuncta sydera, quamvis nonnullis lucida esse corpora, non cum sensu, aut intelligentiâ videantur: Hæc Augustinus.* *Si ergo tantus Doctor in hac materiâ dubitavit, ego nihil definit in hac parte.* Ridendus igitur Morainius, qui Augustini dubitationem inter errores rejecit, quam subtilissimus Scholasticorum solâ Sancti Doctoris auctoritate, atque exemplo motus, secutus est, ille inquam Aureolus, *cujus vestigiis non erubescit modò tota Neutralium Schola inhaerere, principia Divi Thomæ, & Scoti deserendo, quæ verba sunt sapientissimi Patris Mæstrij Meldulensis in Præfat. ad tomum 1. Metaphysices.*